

B. L. S.

Autor(en): **[s.n.]**

Objekttyp: **Preface**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1746)**

Heft 1

PDF erstellt am: **13.07.2024**

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

Ein Dienst der *ETH-Bibliothek*

ETH Zürich, Rämistrasse 101, 8092 Zürich, Schweiz, www.library.ethz.ch

<http://www.e-periodica.ch>



B. L. S.

HAec variarum Observationum Syllogen, cuius nunc primam Particulam cum orbe erudito communicamus, pro jure nostro, quod cum omnibus, qui Libros in publicum emitunt, commune nobis est, MUSEI HELVETICI Inscriptio-
ne, quam a fronte Libri suspendimus, con-
decorare visum nobis fuit: Atque ut hujus
nomenclaturæ dignitatem tueri posse isthæc
Collectio, quantum in nobis est providere,
id sedulo operam dabimus.

De varia autem ac insigni hujus Insti-
tuti nostri utilitate, quam in omne genus
Literarum spargere ac propagare posse,
multa præfari, atque hoc nomine illud pro-
lixius commendare velle, esset actum age-
re et operam supervacaneam ponere in re,
de qua nemini ullum amplius dubium su-
pereesse potest demonstranda: Etenim non
tantum luculenta multorum commenda-

tione constat, sed etiam longo rerum usu cognitum exploratumque est omnibus, quantum hoc Librorum genus fructum, commodum ac delectationem afferre soleat: neque id quenquam fugere potest, nisi qui penitus ignorat, quam avide fuerint exceptæ & quantum promovendis bonis Literis adjumentum attulerint variæ variarum Observationum Collectiones à Viris de re literaria bene merendi cupidis inde ab hujus Seculi principio in publicos usus instructæ; cujus generis sunt, *Observationes Halenses, Bibliotheca & Museum Bremense, Miscellanea Duisburgensis, Groningana, Lipsiensia* etiam tum priora, tum novissime instaurata, *Symbolæ item literariae, et Tempe Helvetica.*

Quodnam vero in hocce Museo apriundo consilium potissimum fuerimus sequi, quum istud a reliquorum rationibus, qui in colligendis ejusmodi meletematibus operam suam posuerunt, non sit multum diversum, atque ex primo hocce Specimine ad liquidum cognosci possit, opus non est ut in eo explicando simus prolixiores. Scilicet id præcipue agimus, ut in hoc Museum congeramus, quæcunque a doctis Helvetiæ Civibus ad illustrandas varias eruditionis partes, succinete quidem, sed cum cura aliqua, aut jam olim sunt conscripta, quamvis typis aliquando fuerint multiplicata; modo sint rarius nunc obvia

via nec facile parabilia ; aut a nostri temporis Ingeniis, quorum hæc ætas adeo ferax est, indies elucubrantur, vel etiam interdum quasi aliud agentibus excidunt, et vel tanti non habentur, ut seorsim et peculiari aliquo libello comprehensa prælum exerceant, aut quibus, quanquam typis sint exscripta proximum interitus periculum impendet. Tametsi vero hac Lege non ita constrictos nos esse velimus, ut integrum nobis amplius non sit, subinde etiam doctam aliquam commentationem, quæ exterum Auctorem agnoscat, ob Argumenti aut tractationis dignitatem Museo nostro inferre, in primis si a civibus nostris fuerit desiderata : Eum tamen in his conquirendis modum servabimus, ut constet, non ob eam solum rationem, quod in Helvetiis fuerit excitatum et collectum hoc *Museum nostrum* ; sed in primis quod maximam partem ex domesticis opibus fuerit auctum et locupletatum, HELVETICUM illud jure merito a nobis nuncupari.

Evidem nullum genus Scientiarum est, quod ab hoc Museo nostro penitus excludamus ; Sunt enim ejus commatis Libri instar prati, in quo, ut *Seneca* alicubi habet, *Bos herbam*, *Canis leporem*, *Ciconia lacertam* quærere et investigare possit : præcipuum tamen rationem habebimus eorum, quæ ad *Criticam*, *Exegesin*, *Historiam* etiam, *patriam* præprimis, five *sacram*, five *civilem*, five *philosophi-*

sophicam, sive *literariam*, illustrandam pertinent: Quin etiam doctorum Virorum et quorum magna in rem literariam fuerunt merita, Imaginibus, h.e. diligentiore Vitæ enarratione hoc Museum exornabimus. Et quum nobis constitutum sit, quatuor quotannis hujus Collectionis Particulas, quarum singulæ decem ad minimum folia compleant, publicæ luci exhibere, Exterorum circa rem Helvetiorum Literariam studio ac curiositati id dabimus, quod non potest non cum Gentis nostræ gloria esse coniunctum, ut singulis Particulis, quæ divisis temporibus lucem adspicient; Nova Literaria Helvetica subjiciamus, quæ Academiarum, Gymnasiorum ac Scholarum statum et conditionem, Doctorum in illis successiones, Eruditorum conatus et consilia, Libros etiam recens in Helvetia editos diligenter percenseant.

Ceterum in his colligendis ac disponendis non promiscue omnia, ut fors quæque obtulerit, fine delectu congerere animus est, sed judicio hic nostro utemur, cui has præcipue Leges statuimus, ut quæcunque in medium afferamus, primo argumenti sint non vulgaris, deinde ut diligenter, nec indocte scripta, præterea ut sint rarius obvia & digna quæ ab interitu vindicentur, denique ut talia, quæ scripsisse homines in literarum studiis versantes minime poeniteat.



Itaque MUSEUM isthoc HELVETICUM publicis usibus dedicamus atque aperimus ; Quod ut in rei literariæ commodum eveniat , quantum in nobis est, Deo ac Musis Helveticis faventibus, satagimus. Et quanquam non aliam nobis hac in parte operam nisi obstetriciam arrogemus, sine qua plures literati fœtus , luce et memoria digni , nunquam excluderentur ; atque musivum aliquod seu sectile opus, tessellis aliunde subministratis , instruamus ; non tamen ita jejunam ac sterilem hanc operam nostram putamus , ut non multum ad juvanda Literarum studia conferat : Non se-
cūs enim , qui alias cohortatione , ut scribant, excitant ac impellunt, et facultatem scribendi suppeditant, ac qui ipsi scribunt, literis opem tulisse existimandi sunt : Quæ duæ res ejusmodi sunt , ut , qui alterutram commode faciat, ei scilicet a studiosis omnibus gratiæ sint agendæ.

Tiguri Helvetiorum ad d. IX. Kal. April. MDCCXLVI.



Ar-